Foltański Stanislai: Quaestio logica de universalibus.

✠

IN NOMINE DOMINI AMEN.

QUÆSTIO LOGICA,

De Vniversalibus,

Ex Aristotelis 5. Metaph: Cap: 8. & 7. Cap. 10.

DESVMPTA;

&

Sub Felicissimo Regimine,

Magnifici, Perillustris & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. STANISLAI PHILIPPOWIC,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Collegæ Majoris. Ecclesiarum Collegiatarum; S. FLORIANI ad Cracoviam DECANI, Curełoviensis SCHOLASTICI, Parochialium Premykoviensis PRÆPOSITI, in Igołomia CVRATI, Contubernii Starnigeliani & Alumnatûs Roszceviani PROVISORIS, Studii Generalis Vniversitatis Cracoviensis Vigilantissimi

RECTORIS.

A

M. STANISLAO FOLTANSKI,

Philosophiæ Doctore & Professore, Ecclesiæ Collegiatæ Szrodensis CANONICO.

Pro Loco in Collegio Minori obtinendo, publicè ad disputandum.

In Lectorio CC. DD. Theologorum

PROPOSITA.

Annô Domini 1748. Die 19. Octobris.

Cracoviæ Typis Collegii Majoris Universitatis.

QUÆSTIO LOGICA.

U. Vniversale Metaphysicum, quod datur à parte rei, recteq; definitur, quod sit unum aptum inesse multis unitate tantum negativa ante operationem intellectus sibi conveniente, fiat per abstractionem intellectus agentis? nec ne?

CONCLVSIO I.

Datur à parte rei universale Metaphysicum.

COROLLARIA.

I. Universalia metaphysica à parte rei existunt in suis singularibus.

II. Naturæ universales non sunt realiter separatæ à singularibus, ut voluit Plato.

III. Universalia non sunt conceptus formales, ut voluerunt Stoici.

IV. Neq; Universalia sunt nudæ voces communes, ut senserunt Nominales.

V. Licet detur à parte rei Universale Metaphysicum, exinde non recte sequitur dari à parte rei Universale Logicum.

CONCLVSIO II.

Recte definitur Universale, quod sit unum aptum inesse multis.

COROLLARIA.

I. *Recte quoq; definitur Universale sic: est unum aptum prædicari de multis.*

II. *Definitio Universalis per esse unum aptum inesse multis, est essentialis.*

III. *Definitio Universalis per esse unum aptum prædicari de multis est descriptiva.*

IV. *Ad rationem Universalis non requiritur quod sit actu in multis & prædicetur de illis.*

V. *Sufficit ad rationem Universalis, quod possit esse in multis ac de illis prædicari.*

CONCLUSIO III.

Universali Metaphysico à parte rei sola unitas formalis communis pluribus negative convenit.

COROLLARIA.

I. *Non datur in natura communi à parte rei unitas formalis communis multis positive.*

II. *Unitas negativa aut fundamentalis, quæ datur in natura communi, non sufficit ad constituendum Universale formaliter propriè & completè sumptum.*

III. *Natura communis antequam existat in singularibus nullam habet actu unitatem.*

IV. *Universale non sunt multa singularia confusè cognita.*

V. Universale formaliter constituitur per unitatem communem quæ fit per actum intellectus.

CONCLUSIO IV.

Universale Metaphysicum fit per abstractionem intellectus agentis.

COROLLARIA.

I. Etiam per abstractionem intellectus possibilis fit universale Metaphysicum, imò expressius & perfectiori modo.

II. Universale Metaphysicum; fit per abstractionem intellectus tam positivâ, quam negativâ.

III. Actus intellectus per quem fit Universale Metaphysicum, est absolutus.

IV. Abstrahere aliquam naturam per intellectũ à conditionibus individuantibus & illam abstractam cognoscere abstractione præcisiva intellectus possibilis, est aliquid simpliciter necessarium ad Universale Logicum.

V. Universale Logicum fit per comparationem simplicem intellectus possibilis.

Hinc Universali rerum Authori

DEO Ter Optimo Maximo

Laus, Honor & Gloria.

Permissu Magnifici Domini

RECTORIS.

Foltański Stanisław

Quaestio logica de universalibus.